

Augusti,  
Christologia  
Koranicae  
Lineamenta.  
Diss. Jena 1799

Hb  
670







Ms 670

LS



Joh. Lud. Frey Dissert. philol. theol.  
de Muhamedis sententia de Jesu Christo, Basile  
1702.

Levin. Warner: Compendium historicum eorum  
que Muhamedani de Christo et precipuis alijs  
rel. chr. capitibus tradiderunt. Lugd. Bat. 1642. 4. 28. p.

J. G. Hassé: De Muhamedo resurrectionis Christi  
teste. Requimont. 1802. 4. 8. p. 6. n. k. ubi Autor  
hujus Dissertat. mentionem et inspicit honorificam.



CHRISTOLOGIAE KORANICAE  
LINEAMENTA.

---

DISSERTATIO PHILOLOGICO-  
THEOLOGICA

QVAM

RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

DOMINO

CAROLO AVGVSTO

DVCE SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM  
ANGARIAE ET GVESTPHALIAE REL.

CONSENTIENTE

AMPLISSIMO PHILOSOPHORVM  
ORDINE

PVBLCICE DEFENDET

A. D. 14. DECEMBR. 1799.

AVCTOR

IO. CHRISTIAN. GVILIELM.

AVGVSTI

PHILOSOPHIAE DOCTOR

RESPONDENTE

IOANNE PETRO SCHVSTER

SAXO - TRANSILVANO.

---

IENAE

EX OFFICINA ETZDORF ET SOC.







VIRO

MAGNIFICO ET SVMME REVERENDO

D. IOANNI IACOBO

GRIESBACH

SER. DVC. VINAR. IN REBVS ECCLESIAS.  
A CONSILIIS INTIM. PRAELATVRAE DEPV-  
TATO, ET IN ACAD. IEN. THEOL. PROF.  
P. O. PRIM.

PRAECEPTORI AC FAVTORI VNICE

COLENDO



HANC DISSERTATIONCVLAM

TANQVAM VENERATIONIS, PIETATIS ET  
GRATISSIMI ANIMI TESSERAM

*D. D. D.*

A V C T O R.



---

CHRISTOLOGIAE KORANICAE

LINEAMENTA.

---

Cum in adornanda nuper *Korani Epitome* \*) incidissem in loca, in quibus de Jesu Christo, religionis christianae autore, agitur, statim de

\*) Titulus libelli est: „*Der kleine Koran; oder Uebersetzung der wichtigsten und lehrreichsten Stücke des Korans. Zur richtigern Kenntniß und Beurtheilung der von Muhammed gestifteten Religion.*“ Weisensfels und Leipzig 1798 339 S. 8.

de sensu horum locorum altius penetrando atque indagando cogitavi et haud parvam inde ad historiam dogmatum rectius cognoscendam redundare posse utilitatem arbitratus sum. Ejusmodi autem Epitomes ratione ac fine uberiores expositionem ac tractationem haud admittente, in aliam eam occasionem differre coactus fui. Hac oportune jam mihi data, materiam, quam dixi, repetere atque sub titulo: „*Christologiae Koranicae Lineamenta*“ Eruditorum examini subicere operae pretium visum est.

Christologiae autem hujus Koranicae duplex est consilium. Primum, ut intelligant Lectores, quid Autor Korani (quem *Muhammedem* esse hic suppono) docuerit de Christo, ejus persona, vita atque praestantia; deinde vero, ut comparationem inter *Christologiam Korani* et *Christologiam Novi Testamenti* instituant, simulque ad *dogmata Ecclesiae Christianae de Christo* animum advertant, et quid inter utramque conveniat, et quid non, perspiciant. *Christologiam Koranicam* dixi, non *Muhammedanorum*, idque moneo, ne quis me ad placita recentiorum Moslemorum

re-



respexisse putet, quod nuper a quodam Muhammedano docto factum esse cognovi \*).

Priusquam autem ad ipsam Muhammedis de Christo doctrinam accedamus, de fontibus nonnulla differenda sunt, e quibus cognitionem de Christo hausisse videtur. Vix dubitari de his posse, quidam persuasum sibi habuerunt, cum sciamus, libros N. T. eo tempore, quo vixit Korani autor, jam notos atque divulgatos fuisse. Accedit, quod magnus Christianorum numerus per plurimas Arabiae partes dispersus viveret, quem libros N. T. novisse atque legisse necesse est. Jam vero plurima, quae Muhammed de Christo narrat, ipsissi-

\*) *De doctrina Moslemorum de Christo.* Sub hoc titulo extat tractatus ex arabica in anglicanam linguam translatus et insertus Collectionibus Orientalibus, quas Vir doctissimus V. F. Ouseley, Tribun. milit. sub titulo: „*Oriental Collections*“ P. I. Lond. 1797., edidit, quem librum inspicere mihi nondum licuisse, vehementer doleo.

ipfissimis adeo verbis mirum in modum cum narratione IV Evangelistarum, ita consentiunt, ut ejusmodi consensus vix ac ne vix quidem fortuito ortus esse videatur. Quid igitur multa? Legit Muhammed libros N. T. atque ex illis narrationem de Christo hausit? Pro certo id affirmare non auserim, cum quaedam sint, quae contra hanc sententiam pugnent. Primum enim Muhammed dissertis verbis, se ante Korani revelationem, librum nec legisse nec scripsisse, affirmare videtur\*). Quae si vera

\*) V. Sur. XXIX. v. 48., ubi haec: „*Et non eras legens ante illud tempus* (من قبله) i. e. ante

communicationem Korani) *ex libro* (من

كتاب), *et non scribebas illum dextra tua.*“

Fortasse autem Autor id monere voluit, se Koranum non proprio Marte composuisse, sed accepisse illum e coelo. Olim كتاب de libro sacro, seu Iudaeorum seu Christianorum, accipiebam, quam significationem vocabulum sine dubio admittit. Sed Arabes (h. e. interpretes Korani arabici) de quovis libro accipiunt et Prophetam artis legendi ac scribendi plane expertem fuisse credunt.

vera sunt, libros N. T. legere non potuit. Deinde vero multa ex historia N. T., et imprimis de Christo, (quae infra videas) narrat, quae apud nos non leguntur. Unde haec? Astute cum ita finxisset, ut sibi gratiam, religioni christianae vero invidiam faceret, Apologetae inter Christianos olim cum contenderent, male causae suae consuluerunt. Miraculosas enim res narrat — quas apud ejusmodi homines religioni christianae plus profuisse quam obfuisse, quis est, qui non videat? Eo igitur nomine non accusandus Prophetas noster.

Ad veritatem igitur propius accedere videtur, si dicimus, Muhammedem *ex traditione* familiaritatem quandam cum historia N. T. contraxisse. Judaeum quendam, *Abdiam Ben - Salem*, et Christianum *Bohiram* (vel *Sergium*, ut alii vocant), in ponendo novae religionis fundamento, Prophetas fuisse adjuutores, vitae ejus autores tradiderunt \*). Ab uno

\*) Persvasum mihi erat, omnia ea, quae doctus Anglus *Prideaux* (in libro: *The life of Mohamet* etc. p. 41 seqq.), et multi alii, dictis ejus in-





uno vel altero, vel abs utroque sine dubio notitiam de vita et factis Christi accepit. Neminem porro, qui historiam Canonis N. T. novit, fugere potest, ortas esse a primis inde Christianismi temporibus *e traditione evangelica* (ut dicunt) plurimas de Christi vita, factis dictisque narrationes, quae, quia ab ecclesiis orthodoxis in numerum librorum N. T. haud reciperentur et tanquam *voſa* respuerentur, *Pſeudo-Evangelia* dictae sunt. Ea autem apud quasdam, imprimis in Oriente, Haereticorum Sectas, magnam obtinuisse auctoritatem, Patribus testibus, certum est. Inter haec *Pſeudo-Evangelia* prae caeteris hic nominari merentur: *Evangelium Infantiae Christi*, et:

*Evan-*

inherentes, de consortio trium horum Impostorum (eo enim nomine audiebant) narraverunt, mere esse ficta et documentis historicis destituta. Ex quo autem, Viro Doctissimo, qui Epitomen Korani a me editam sub censuram vocavit (Allg. Lit. Zeit. 1799. Nr. 26.), monente, rem accuratius perpexi, plurima hujus rei documenta historica eaque minime spernenda adesse intellexi.

*Evangelium de Nativitate Mariae* \*), cum quibus multa, quae Noster de puerili Jesu aetate habet, mirum in modum conveniunt, ita ut ea mutuassee ex illis videatur. Inter Haereticos eo tempore in Arabia viventes, nominantur *Collyridiani* (seu *Mariolatrae* \*\*), *Jacobitae*, *Melcitae*, *Nestoriani* etc. \*\*\*), cum quibus

\*) V. *Fabricii* Cod. apocr. N. T. T. I. p. 2—38. ibid. p. 127—212.

\*\*) *Elmacin* (المسكين) *Histor. Moslem.* p. 227. de iis loquitur „qui dixerunt, Christum et Mariam, praeter Allah, duos Deos esse. Atque hi appellati sunt *Al-Mazamaei*. المزامعة. Sine dubio legendum: المارميين, *Marjaminin*, ut etiam *Said Batrik* (بطريغ) *Hist. eccl.* p. 120 habet. Idem de *Collyridianis* dicunt *Korani interpretes*. Cum autem nemo e scriptoribus graecis eorum mentionem faciat, Arabibus vix ac ne vix quidem fides habenda. Cf. *Walch's: Historie der Ketzeren* etc. T. III. p. 632—33. n. 2.

\*\*\*) V. J. H. *Hottinger: Histor. orient.* Tigur. 1651. 4. p. 225 seqq., ubi copiosius de his Sectis agit atque Patrum et scriptorum arab. testimonia allegat.

bus familiaritatem quandam Muhammed contraxisse, quorumque dogmata accepisse verifimile est.

His praemonitis ad ipsam Christologiae Koranicae expositionem accedamus.

Cum autem numerus locorum Korani, in quibus de Christo agitur, non ita sit magnus, ut moles libelli inde nimis auferetur, singula ea hic apponere atque recensere haud ingratum fore putavi, repetitionibus tantum frequentioribus, quibus mirifice sibi placet Noster, omisissis \*).

Svr. III. v. 45 — 48.

V. 45.: „*Dixerunt Angeli: O Marjama, certe Allah annuntiat tibi Verbum ex se ipso, cujus nomen erit: MASIHO ISA IBN-MARJAMA. Illustris hic erit in hoc et futuro seculo*  
et

\*) In citandis textus locis sequutus sum editionem Ludov. Marraccii, quae Paduae 1698 in fol. prodiit adhibita tamen et Ed. Hinckelmanni, Hamb. 1694. 4.





et unus ex Magnatibus coeli. V. 46: Et docebit homines in curiis et quando adultus fuerit; denique ex numero eorum erit, quibus incubuit spiritus Dei. V. 47: Illa (Marjama) respondet: Domine, qui fiat, ut sit mihi proles, cum vir rem mecum non habuerit? Ad quae Angelus: Ita, inquit, Allah creat, quidquid vult. Decernens rem aliquam dicit: esto! statimque existit. V. 48: Docebit eum (puerum) Allah Librum et Sapientiam, Legem et Evangelium, et Legatum illum mittet ad filios Israel, quibus dicet: Ecce, jam venio ad Vos vi atque auctoritate Domini vestri. Creabo enim Vobis ex luto quasi formam avis, quae, si insufflavero illi, viva avis, Deo favente, evadet. Sanabo coecum et leprosum, et, adjuvante numine, ad vitam revocabo mortuos. Et indicabo vobis, quid esuri, quidque occulti facturi sitis in aedibus vestris. Testimonium hoc vobis erit, si non increduli estis.“

Iisdem hic Servator Noster audit nominibus, quibus in N. T. insignitur, vocibus tantum arabizatis. *Amasifo*, <sup>2</sup>أَمْسِيفُ, מֵשִׁיחַ, :

χρῆστος

χριστος. *Isa*, *عیس*, sine dubio ex Syriaco  
*ܘܨܐ* formatum. Ast haud impune Noster  
 hoc nomine utitur. Audiamus *Hottingerum*  
*Hist. Or.* p. 104: „Quid si diceremus, Mu-  
 „hammedi, nihil tali cogitanti, impositum  
 „fuisse a marrucino suo Judaeo Abdalla (?), qui  
 „Talmudistarum suorum incoctus blasphemis  
 „didicerat, impium illum *παραλληλισμον* inter  
 „*ישע*, *Esavum*, et sanctissimum mundi Serva-  
 „torem (vide *Lex. talmud.* Buxt. p. 32.) Jesum,  
 „quem ille blasphema hac *συνωνυμία* exprimere  
 „voluit. Nec Judaeorum malitia, nec Mu-  
 „hammedis perversa indoles hanc nobis vero  
 „absimilem reddit conjecturam.“ Absit hal-  
 „lucinatio! *Ibn-Marjama*, filius Mariae di-  
 „citur, ut *Al-Beidavi* (*لأبيضاوي*) scribit, quia  
*sine patre*, a quo filii alias nominari solent,  
 natus est. In N. T. pro eo nomen *υίος Δαβὶθ*  
 frequentius. Porro *Verbum ex ipso* (sc. Deo)  
*אֵלֹהִים* cf. *Sur.* IV. 169, ubi *אֵלֹהִים*,  
 Verbum ejus. Sine dubio hoc vocabulum re-  
 spondet *λογω* in initio Evangelii Joh. Quidam  
 interpretes pro *filio* positum esse volunt, quia  
 verbo i. e. mandato Dei, sine patre, natus  
 fuerit.

fuerit. \*) Sed magis arridet alia interpretatio, quam *Hottingerus* in *Lexico quodam arabico*, *Oxonii in Museo D. Gravii*, invenit: „Christum dici Verbum Dei, quod utilis fuerit religioni (religionis promotor fuerit), quemadmodum dicitur (de aliis): *hic est Gladius Dei, Leo Dei*“ etc. — *Illustris*, وَجِيهًا, spectabilis, praestans. Praestantia ejus autem, secundum *Dschelallodin* (جلال الدين) consistit in لادوة i. e. dono prophetiae, in hoc mundo, nec non in لاشفاوة i. e. intercessione (erit *intercessus*) in futuro seculo, simulque obtinebit gradus eminentes. *E Magnatibus coeli*, من كرامتهم. Verbum قرب significat propinquus fuit et hic vel de societate cum Angelis et Magnatibus coeli, vel de excelso ejus gradu in Paradiso et circa thronum Dei intelligitur.

V. 46.

\*) Cum in *Ed. Marr.* et *Hinkelm.* بيسكول legatur, verti posset: *Jussu ejus (Dei) nomen illi (Jesu) erit* etc. quo facto idea Verbi, live λογος, evanesceret. Sed locus paral. supra laudatus eam extra dubium ponit, et Korano vindicat.



V. 46. *Docebit homines etc.* Cf. Sur. XIX. 28. et Sur. V. 119. In *Evang. Infantiae Jesu c. 1. e libro Josephi Pontif. fabula*, Jesum in cunis locutum fuisse, narratur simulque refutatur. *Incubuit spiritus Dei.* In *Epitome Korani* p. 274. vertebam: „*Er wird ein Gottgeweihter seyn*“; sed hoc potius esset **نَوِيْرٌ، كَذِيْبٌ**. Omnes interpretes reddunt vel „*Probi*“, vel „*Prosperae agentes*“, quod verbum **صَلَحٌ** vulgo notat. Jam vero alia mihi arridet explicandi ratio. **صَلَحٌ** significationem habet *incubuit*, et secundum Dseuharium et Camusum **اَصْلَحَ** est in IX conjug. **اَضَطَّجَعَ** *cubuit*, vocabulum solemne de *correptione spiritus divini*. Sic hebr. **צָלַח** et **צָלַח** occurrit Judic. 14, 6: **וְהַצִּלַּח עָלָיו** i. e. *incubuit ei spiritus Jehovae totumque eum penetravit*. Cf. etiam 1 Sam. X. 6. XI. 6. XVI. 13. In nostro igitur loco **اَصْلَحَ** erit is, *cui incubuit spiritus divinus* (ut **וְנַחַח עָלָיו רוּחַ יְהוָה**: 1: *ein Gottbegeistert*).

V. 48. *Vi atque autoritate etc.* **وَأَمْرًا**, hebr. **עוֹת**, **σημασιον** signum, testimonium, documentum-

cumentum, quo Deus hominem tanquam legatum divinum mittit. Cf. Sur. V. 119. etc.

Formam avis, كَهَيْئَةِ الطَّيْرِ. forma, externa species, cum  $\subseteq$  similit. cf. Sur. V. 119. Caeterum in *Evangelio Thomae* c. 2. et *Evang. Infantiae Jesu* (arab.) c. 36, et 46. (graeco c. 2.) eandem fabulam de Jesu puero, *passeres* ex luto fingente, invenies. Miraculum istud fit:

إِنَّا نَدْعُو اللَّهَ *per voluntatem, concessionem Dei.*

Formula in Korano solemnis, si de miraculis a Prophetis patris loquitur — *Coecum* etc.

Comparandus cum his locus Matth. XI, 5: Τυφλοι αναβλεπουσι, χωλοι περιπατουσι, λεπροι καθαριζονται, και κωφοι ακουουσι, νεκροι εγειρονται, και πτωχοι ευαγγελιζονται — *Occulti* etc. Vulgo verbum

تَدَخَّرُونَ vertunt *reponatis* et de *thesauris*,

quos in aedibus coacervent, intelligunt interpretes;

id mihi autem propter تَأْكُلُونَ (edatis) minus placet, et malim derivare a rad.

خَرِيَ vel خَرَا *album deposuit, exoneravit* (inde

خَرَا *stercus humanum*), sensu nihilominus verecundo. حَرَمٌ, quod distinguendam ab حَرَمٌ,

B

in

in universum est *occulti aliquid facere*. Sensus itaque est: Omnia, quae in aedibus vestrīs agitis, etiam occulta et clandestina, vobis indicabo.

SVR. II. v. 87.

„Et largiti sumus *Isae, filio Marjama, testimonia evidentia, et roboravimus eum Spiritu Sanctitatis.*“

الْبَيِّنَات sunt demonstrationes, quibus Christus tanquam legatus Dei apud homines evincebatur; σημεια και τερατα, quae vel ipse fecit, vel, quae ejus causa facta a Deo sunt.

بَيِّنَات eitam eloquentiam et persuadendi facultatem significat. Sic Jes. XI. 2. רוּחַ בִּינָה. Veritū in Epit. p. 85 *Wunderkraft*, sed nunc cum *Ueberzeugungskraft* permutare malim. וְיָחִי

الْقُدُّس spiritus sanctitatis pro *spiritu sancto*. Dschelalodin sic explicat: „Adjunximus ei Spiritum Sanctum Gabrielem, ut sanctificaret eum, et ambularet cum eo quocumque ambulabat.“



labat. „Islamismum redolet haec interpretatio. Muhammedis cum Gabriele notissimum est confortium, a quo revelationes suas e coelo accepit, cum quo saepissime colloquutus, cujusque ope denique a summis periculis liberatus fuit. V. Sur. LIII. 113. etc. Eundem in Jesu quoque efficacem fuisse, Muhammedani contendunt, quamquam in Korano nusquam ejusmodi confortii clara fiat mentio. Caeterum eadem sententia in eadem Sur. v. 254. iisdemque verbis occurrit. Cf. etiam Sur. V. 119.

Svr. IV. v. 155 — 58.

„Infideles (Judaei) fuerunt et dixerunt contra Marjama mendacium magnum. Dixerunt (porro): „Interfecimus Messiam Isa, filium Marjama, Legatum Dei.“ Attamen eum nec interfecerunt, nec crucifixerunt, sed data est illis similitudo quaedam, et ejus causa discordes facti sunt. In dubitatione de eo fuerunt, nulla illis sententia certa, sed opinio tantum fuit. Eum non interfecerunt revera. Sed elevavit eum Allah potentissimus atque sapientissimus ad se. Et nemo est ex Familia Libri, qui non crediturus sit in illum

B 2

ante

ante mortem suam; et die resurrectionis erit  
contra illos testis.“

Dicitur hoc loco: *Jesum non fuisse inter-*  
*fectum revera.* Idem docuisse Haereticos  
quosdam inter Christianos ex historia eccles.  
liquet. *Saturninus*, qui Gnosticis adnumera-  
tur, docuisse fertur, Christum non revera sed  
solummodo εν δουρασι esse mortuum \*). *Basili-*  
*des* contra statuit: alium quendam (Simonem  
Cyrenaeum) loco Christi esse crucifixum \*\*),  
An vero Muh. horum dogmata per traditionem  
acceperit, nec ne, quis certo affirmare au-  
deat? \*\*\*)

Simi-

\*) V. *Ignatii* Epist. ad Philadelph. et *Daille* de  
Script. Dionys. Areop. et *Ignatii*, II. II.

\*\*) *Irenaeus* adv. Haeref. I. 24. et *Epiphan.* hae-  
ref. XXIV. 3. Irenaei tamen verba variam ad-  
mittunt interpretationem. Cf. *Walch's Historie*  
*der Ketzereyen* etc. T. I. p. 306.

\*\*\*) Cf. quae Ven. *J. E. Chr. Schmidt* acutissime  
monuit in: *Bibliothek für Kritik und Exegese*  
*des N. T.* etc. I. B. I. St. S. 129.

Similitudo, quaedam etc. <sup>و</sup>شبهه est simili-

tudo a rad. <sup>ش</sup>شبهه assimilavit, quod VIII. conjug. etiam obscura et ambigua fuit res significat.

Olim <sup>ب</sup>شابه, juvenem, legendum putavi, qui pro Christo habitus fuerit. Sed το <sup>ο</sup>ομοιωσι retinendum est, quia ad δοκασιν spectat. Sensus duplex inesse potest, vel: Christus εν δοκασει passus est; vel: alius ejus loco crucifixus fuit. \*) *Ante mortem suam.* Dubia est interpretatio, an pronom. ε in <sup>ο</sup>ομοιωσι ad *Familiam libri* (i. e. Judaeos et Christianos), vel ad *Jesusum* referendum, et an *mortem suam* vel *ante mortem ejus* vertendum sit. Fluctuant inter utrumque Arabes, sed *Al-Zamachschario* (الزمخشري) assentior: „Nullum fore ex Judaeis et Christianis, qui ante mortem suam non

\*) In *Evangelio Barnabae*, quod italico extat idiomate et mirum in modum cum Korani historia convenit, narratur: Judam Iscariotam loco Christi morti esse traditum. V. *Fabricii Cod. ap. N. T. P. III, p. 377.*, *Mosheim's: Vindiciae antiq. Christianor. discipl. adv. Tolandi Nazaren. Ed. II. et Schmidt's Bibliothek etc. I. c.*

non credat in Jesum, quod sit servus Dei ejus-  
que legatus.“ *Mendacium* contra Marjama  
quod attinet, Muh, ad Judaeos respicit, qui  
Marjama *meretricem* esse aiebant. cf. Sur. XIX.  
27. Forſan etiam ad Chriſtianos respexit,  
quos diviniatē Mariae adſcribere credebat.  
V. ſupra.

SVR. IV. 169 — 70.

„O Vos, Familia Libri, ne excedatis modum in  
religione veſtra, neque dicatis de Deo quod  
non eſt verum. Proſecto Meſſias Iſa, filius  
Marjama, eſt Propheta Dei et Verbum ejus,  
quod immiſit in Marjama, et Spiritus ab eo.  
Fidem igitur habete Deo et ejus Legatis, nec  
vocate TRINITATEM. Abſtinete hac voce, hoc  
vobis conducet, Deus enim eſt unicus; abſit  
igitur, ut illi ſit filius. Ipſius eſt, quod in  
coelis et in terra exiſtit, et Deus ſibimetipſi  
ſufficit. V. 70. Non dedignabitur Meſſias  
ſuperbe, ſe ſervum Dei dicere, ſicut Angeli  
proxima adſtantes. Qui autem hanc ſervitu-  
tem detrectat atque in ſuperbiam effertur —  
hos omnes Deus ad ſe (quondam) congregabit  
(puniendos).“

V. 69.



V. 69. *Spiritus ab eo* <sup>روح</sup> <sup>روح</sup> sc. Deo.  
 Intelligi potest vel: *unus ex Magnatibus Coeli*. Sic Sur. XCVII. 4. et alibi angelus Gabriel  
<sup>روح</sup> <sup>روح</sup> <sup>روح</sup>, *spiritus* (magnus), dicitur;  
 Vel, ut Arabes plurimi accipiunt: *habens spiritum a Deo* —. *Trinitatem*, <sup>ثلاث</sup>, tres, sc.  
 Deos. <sup>ثلاث</sup> foem. cum  $\delta$  masc. *tres*. *Trinitas* est <sup>تثليث</sup>. Hos tres Deos *Allah*, *Christum* et *Matrem ejus* (Mariam) esse volunt interpretes, *Spiritus S.* nulla habita ratione.  
 V. Sur. V. 82. V. 70. *Servum Dei*, non *Filium*, vel *Collegam*, ut Christiani perhibent. *Christus*, *Angeli* et reliqui *Proceres coeli* hic pares sunt i. e. servi Dei.

SUR. V. v. 19. et 20.

„Illi certe sunt impii, qui dicunt: *Messias ille, filius Marjama, est Deus. Dic: quis imperabit Deo, ne, si vellet, perderet Messiam, filium M., et Matrem ejus, et omnes*  
 deni-

denique terrae incolas? Deus enim est rex  
coelorum et terrae etc. \*).

Impii, كَقَرَّ illi dicuntur, qui circa  
religionem impie agunt; etiam <sup>α9801</sup> hoc no-  
mine insigniuntur. Manifeste hic damnantur  
Christiani, qui Christum Deum esse dicunt.  
Christus et Mater ejus sunt res *creatae*, a Dei  
arbitrio pendentes; utrumque igitur, si vellet,  
perdere potest, eadem ratione atque potentia,  
qua produxit.

Sur. V. v. 81 — 84.

(V. 81 et 19. ejusdem Sur. vere identici  
sunt.)

V. 82: „*Infideles sunt, qui dicunt: Deus est  
tertius trium; non enim est Deus alius nisi  
Allah*

B. alia  
est  
infidelis.

\*) Incuria *Marraocii* hic versus, qui Doxologiam  
consuetam continet, in versione e regione posita,  
omissus est.

*Allah — —. V. 84: Christus, filius M., nihil aliud est, quam Legatus, quem jam alii praecefferunt, et Mater ejus est verax; comedebant cibum.“*

*Tertius trium, ذَالِكُ كَلِمَةُ i. e. unus e tribus Deis, quos statuunt Christiani, Allah, Christum et Matrem ejus — Verax i. e. nunquam dixit, se esse Deam. Comedebant cibum. Christus et mater ejus revera homines fuerunt, quia, sicut reliqui mortales, cibo alebantur, inde sequitur — sic concludit Autor — utrumque Deum esse non posse. Sabaei contra negabant, Jesum verum fuisse Messiam (Christum), quoniam cibo ac potu usus fuerit \*).*

Svr. V. v. 125.

*„Cum dicet Deus (die judicii): O Isa, fili Marjama, tunc dixisti hominibus: Accipite me*

*\*) V. Norberg de relig. et lingua Sabaeorum. In Commentat. Goetting. T. III. p. 32.*

me et matrem meam tanquam duos Deos, praeter Allah? Respondebit: Absit, ut dicam, quod non est verum! Si hoc dixissem, tu certe scires; tu enim me pernoscis, ego vero te non pernosco. Tu enim es arcanorum cognitor. Nihil dixi illis, nisi quod praecepisti mihi: Colite Deum, dominum meum et dominum vestrum; et fui illis testis quamdiu commoratus fui apud illos. Postquam vero fato fungi me fecisti, tu ipse fuisti custos super eos, nam tu omnium rerum testis es.“

In versibus praecedentibus (V. 121 — 24) narratur, Jesum precibus suis tantum effecisse, ut *mensa* e coelo descenderet cibus repleta, quibus vescerentur Apostoli, hoc miraculo de divina Christi autoritate convicti. Confarciata videtur fabula e traditione historica de ultima coena, quam Christus cum Apostolis celebravit, de cibatione quinque millium in deserto, et de eo, quod accidit Petro Ap. Actor. X. 10 seq.



## SVR. XXIII. v. 52.

„Et posuimus filium Marjama et Matrem ejus  
tanquam signum (cf. supra Sur. III. 48.), et  
recepimus utrumque in locum sublimem, ab-  
undantem quiete et fontibus aquae.“

Sine dubio hic locus sublimis (سُورٍ), quietus et aquae fontibus abundans est Paradisus, praemium piorum. Miror Dschelalodinum aliosque vel de بيت المقدس, domo sancta, i. e. templo Hierosolymitana, vel de دمشق, Damasco urbe, vel de فلسطين, Palaestina, interpretatos fuisse.

## SVR. LXI. v. 6.

„Dixit filius Marjama: O Israelitae, profecto  
ego sum Legatus Dei ad vos ut Legem ve-  
stram confirmem et Legatum illum annun-  
tiam, qui post me veniet et cujus nomen  
AHMEDO erit.“

أحمد, Ahmedo, valde celebrem, lauda-  
tissimum significat. Habemus hic Muhammedem

dem (nam *Ahmed* et *Muhammed* sunt συνωνυμα, vel, si mavis cum *Autore Genealogiae* Muh. p. 203. ita differunt: „Nomen ejus (Propheetae) in coelo est *Ahmed*, in terra *Muhammed*, in Paradiso *Abwatrazin*) a Christo praedictum. Sed ubi? In *Evang. Joh. XIV, 16*. *Jesús* dicit: „Και εγω ερωτησω τον πατερα, και αλλου παρακλητον δωσει υμιν, ινα μενη μεθ' υμων εις τον αιωνα.“ Vocabulum παρακλητος est vel advocatus, vel doctor; quodsi vero ex Jotacismo pronunties, παρακλυτος (vel etiam περικλητος), tunc habes Ωωω, celeberrimum, laudatissimum. \*)

Σνα.

\*) *Evangelium Barnabae* loco παρακλητον habet περικλυτον, et sic opinionem Muh. confirmare videtur. Cf. *Hadr. Relandi* Adnot. ad *Compend. Theol. Mohammed. arab. et lat.* Traj. 1717. p. 23. *Evangelium* illud etiam nostro adhuc tempore apud Muhammedanos in summa haberi autoritate, nuperrime legi in: *Nachrichten und Bemerkungen über den Algierischen Staat.* II. Th. Altona 1799. 8. maj. 5. Abschnitt. S. 888., ubi de permixtione horum vocabulorum sermo est.

## SVR. XIX. v. 1 — 33.

Hoc loco de miraculosa conceptione et partu Jesu agitur. De singulis tantum videbimus:

V. 16 — „Narra (o Propheta) in hoc libro de Marjama secedente e patria domo versus orientem, sumto velamine, in sciiis parentibus. Misimus ad eam Spiritum nostrum, et similis factus est ei homo aequalis \*). Illa dixit: Confugio a te ad Misericordem, si timorem Dei habes \*\*). Tum ille: Profecto ego

\*) In verbo *دشیر* latet in Conj. III. significatio *coivit cum foemina*. *سوي* aequalis fuit, et, praevaluit.

\*\*) Marraccius vertit: „Si es timoratus,“ et Schmidt (Bibliothek für Kritik und Exegetik etc. I. B. I. St. S. 118.): „Wenn du dich anders fürchtest.“ Sed notio *timoris dei* inesse debet, si sensum sanum quaeris, nec verbum *تقي* respuit. Sed aliud venit in mentem: Verbum *لأخ* primum *evomuit*, deinde Conj. V. *se obtulit*

ego a Domino missus sum, ut tibi donem  
 puerum sanctum (مَكِينًا). Respondit: Un-  
 de mihi puer, cum nec rem cum viro habue-  
 rim, nec scortum fuerim? Ad haec ille:  
 Sic fiet, inquit, et domino tuo non difficile  
 negotium est, ut illum (puerum) hominibus  
 testem potentiae et misericordiae suae con-  
 stituat; jamque decretum est —. Concepit  
 igitur illum atque ferens utero secessit in lo-  
 cum remotum. Oppressa juxta palmae trun-  
 cum doloribus partus exclamat: Vae mi-  
 serae, o utinam ego ante hoc mortua essem,  
 derelicta, oblivioni tradita! Ille clamavit  
 sub eam \*): Ne contristeris, nam Deus ma-  
 nare

lit mulieri ad coitum exercendum, significat.

Fortasse ὁ ὅ propter ομοιοταλευτον irrepfit. Sen-  
 sus esset: si ita te obtrudis, inflas. For-

tasse etiam كُنْتُ a كُنْتُ, validus, derivari  
 posset.

\*) Arabes vel de Gabriele vel de puero in utero lo-  
 quente, intelligunt. Verba مَنْ تَكْتَبُ vel de  
 loco inferiori terrae, vel de utero matris sumun-  
 tur. فَتَنَادِيهَا, rad. نَادَى est clamavit. Quid  
 autem si legas فَتَنَادِيهَا a rad. نَادَى vel تَنَادَى  
 coad-



nare iussit sub te rivum. Excute juxta te truncum palmae, cadere faciet super te dactylos maturos; collige, comede, bibe et tranquilla oculum. Deinde si rursus hominem (te interrogantem) videris, dicit: Jejunium deo vovi, ideoque neminem alloquar. Venit igitur portans puerum ad familiam suam. Tum illi: Heus Marjama, ajunt, mirifice tute finxisti \*)! Heus, soror Harun, an pater tuus vaniloquus materae tua meretrix fuit? Illa vero innuit ad puerum. Responderunt: Qui alloquemur istum, qui adhuc infans in cunis est? At ille (puer): Certe, inquit, ego sum cultor Dei! Tradidit is mihi librum et constituit me Prophetam. Et fecit

coadjuvit, apparatus necessarium suppeditavit.

De Maria puerpera intelligendum, et من تكلمت de humo accipiendum, quo Gabriel lectum puerperae stravisse credendus est. Mutatio simplicis punctioli in duplex, 3 in 3̄. neminem sane movebit, nec supplementum του  $\text{ἰ}$  ante  $\text{ἰ}$ . Sic sensus pròdit, qui, lectione non mutata, nescio quid infulsi habere videtur.

- \*) Verbo  $\text{فرض}$  mendacii simul et rei mirandae inest notio et vel finxit mendacium, vel rem mirabilem narravit vertendum. Per  $\text{σκωπημα}$  ita alloquuntur Mariam. Caeterum eam Aaronis (Harun) sororem dicit Autor, quia Mariam, matrem Jesu, et Mirjam, sororem Moylis et Aaronis, (nominibus haud differentibus) confundit. Gravior ob id castigantur Pseudo-Prophetam Apologetae.

*fecit me genua flectentem \*)*; ubique fuero, et praecepit mihi orationem, et eleemosynam per totum vitae spatium; et pius me fecit erga genitricem, nec miserum, qui elato animo incedit. Faustus ille dies, quo natus sum, quo moriar, et quo denique vivus resuscitabor — Ita Isa, filius Marjama, dictum veritatis\*\*), de quo dubitant.“

Haec fere sunt, quae in Korano de Christo leguntur. Jam restat, ut de his accuratius disputemus atque comparationem hujus Christologiae cum Christologia N. T. et Ecclesiae Christianae instituamus. Ne vero hujus Disputationis transgrediamur limites, telam, quam exorsi sumus, alio tempore ac loco detexere licebit.

\*) Hanc versionem verbum *بَارَكَنِي* postulat, pro: *et fecit me benedictum*. De omni religionis cultu dicitur, imprimis autem de precibus, quas Moslemi flexis genibus et humi prostrati, fundere jubentur.

\*\*) *قَوْلُ الْحَقِّ*, λογος αληθινος (Joh. IV. 37.) veracissimus doctor. Sed referri etiam potest ad id, quod de Jesu narratum fuit, hoc sensu: Ea sunt, quae de Isa narranda habemus, vera haec sunt (dicta veritatis), nihilo minus tamen increduli de hac veritate dubitant.

H b 670

Ab 670







D Hb 670

ULB Halle

3/1

001 173 472





